

pisces solent, ex aqua extractus fuit. Superest, ut paucula alia, quæ de Bernardo ad prænotatum annum habet conditor Annalium Cisterciensium, non prætermittamus.

523. Cap. 7, refert, præsullem Aurelianensem Bernardi consilio amplexum fuisse institutum ordinis Cisterciensis : cujus rei circumstantias, satis diu extractæ, uti vult Manricus, paulo altius repetemus. Idem itaque historicus ad annum Christi 1146, cap. 2. num. 8 : « Sub idem, inquit, tempus, quantum ex serie epistolarum Bernardi, et earum contextura liquido constat, Eugenii (papæ) zelus constans pro veritate Aurelianensem episcopum (Manassem tabulæ videntur indicare) infulus abdicatis aut projectis aut traxit ad Claravallium. Is genere nobilis... conversatione profanus..., pontificalis dignitatis insignia levitate morum, gravitatem ecclesiæ Gallicanæ perniciosius exemplis deonestabat... Ad Eugenium delatus..., quæ per testes defendere non poterat, per intercessores saltem attenuare, atque exponere veniæ deliberabat, et totam fere Galliam commovebat, ut flecterent Eugenium, aut conciliarent... Scripsit pro eo Ludovicus rex, scripsere et proceres, scripsit et venerabilis Petrus Mauricius. Unus in tota Gallia Bernardus fuit, qui, ut scriberet, adduci nunquam potuit. Quin cum Eugenius obduratus adversum preces, virum sisti iudicio præcepisset..., propositum firmavit litteris tunc demum datis in hunc tenorem, » quarum fragmentum, quod huc pertinet, subditur, quodque legi potest apud Mabillonium in principio epistolæ 245. « His litteris, » sicut pergit Historicus Cisterciensis num. 9, « Bernardi firmatus pontifex, accusatoribus solemnem diem indixit, quem accusato non minus intimavit... At quid cum ipso, et in ipso factum sit, qualiterque... in purgatione faciendâ per episcopos, cum adhuc lis penderet, nec desperata, nihilominus ipse episcopum ultro exuens, quem solum non propitium expertus esset, Bernardum sibi elegerit magistrum, parentemque humilis monachus factus in Claravalle, anno 1149, quo evasisse [f. evenisse] constat, lite eousque protractâ... more nostro commodius referemus. »

524. Hanc porro rem gestam prolixo sermone describit ad annum 1149, cap. 7, quod modo citabam, ubi datur videre, indictam quidem præsulii Aurelianensi fuisse purgationem; sed post maturam cum S. Bernardo deliberationem, consultiusne esset, abdicare infulas, an super illis litigare, viri sancti consilio exuisse episcopum, atque monachum Cisterciensem induisse. Quænam vero in ipsius favorem deinde fecerit sanctus Pater apud Eugenium papam patet ex illius epistola 246, ad hunc data, quæ apud Mabillonium aptatur anno Christi 1146, et sic incipit : « Tempus est, ut et ego scribam, non jam pro episcopo, sed pro paupere et humili monacho, » etc. Mabillonius in notis brevioribus ad epistolam 245 animadvertit duo, quæ non conveniunt cum narratione jam recitata ex Annalista ordinis Cisterciensis. Etenim ab eo differt in signando nomine epi-

scopi Aurelianensis, et in tempore abdicati ab eo episcopatus, utrumque breviter ad illas epistolæ voces : « Pro Aurelianensi episcopo, » observans : « Nempè Helia, inquit, qui gravium criminum accusatus, cum neque per se, neque per regem aut amicos, Eugenium flectere potuisset anno 1146 episcopatu sponte cessit, ex aliis Notis, et epistola sequente. » Ex hujus quippe anno, quo notatur scripta, et ex verbis, quæ paulo ante ex eadem protuli, præsul ille tunc non præsul erat amplius, sed monachus. In Notis autem fusioribus ad eandem epistolam, accusatio ipsius innectitur anno 1144, ibidem alia videri possunt.

525. Historicus Cisterciensis ad annum Christi 1150, cap. 3, memorat difficultates, quæ inter duos præclarissimos ordines, Præmonstratensem videlicet et Cisterciensem, obortæ sunt. Ad hos scriptæ a Præmonstratensi abbate litteræ causam præbuere S. Bernardo rescribendi prædicto abbati, condita epistola, quæ est inter Bernardinas ordine quinquagesima tertia supra ducentesimam apud Mabillonium; et in qua expendit objectas a Præmonstratensibus querelas, singulisque earum capitibus respondens, liberam et vividam pro se ac suis apologiam contexit, eandem concludens terminis apprime exprimentibus summam, qua erga Præmonstratensium familiam afficiebatur, benevolentiam, ac studium procurandæ cum ea pacis.

526. Idem, qui supra historiographus, cap. 6 scribit ista : « Interea Henricus, Ludovici frater, quem anno præcedenti conversum, ac suæ, ut ipse dicebat, desponsationis solemnem diem præstolantem commemoravimus (ante an post professionem non satis constat) ingenti vitæ et victus mutatione in febrim incidit molestam satis, et periculosam; non sine ingenti dolore Bernardi Patris, qui in regio sanguine generosum contemptum gloriæ... venerabatur. Medicos medicinasque arte factas in conventum inferre, nequaquam utile; sed ægrotanti Henrico non subvenire, pene inhumanum, visum Bernardo et fratribus est; ut Parisios curandus deferretur... Non curru, non lectica vectus discessit, quamvis infirmus, nec equo ornato stramentis decentioribus : rusticanis insedit regius adolescens, qualia decebant monachum, qui se regum et filium et fratrem esse longe minoris faciebat, quam monachatum. » Legi potest de discessu ipsius, ac viæ sociis epistola Nicolai, cujus verba ibidem referuntur. Deinde autem cap. 7, idem Henricus, votis solemnibus Deo nuncupatis, postquam salutis pristinae ac Claræ-Valli suæ redditus esset, ad cathedram Bellovacensem promotus fuit. Bernardus in hac re quomodo se gesserit, quomodo Henricus; quæque adhibita sint media, ut ambo consentirent, legere pluribus ibidem licet. Hæc e diversis duobus capitibus citatis nos hic simul conjunximus. De obitu autem Gaufridi de Amaio apud Claravallenses, prout sanctus Pater prædixerat, adis Manricum cap. 6, qui cap. 8, agit de famoso illo ac infami Nocolo :

sed nos historiam istius sycophantæ collegimus supra per anticipationem temporis.

527. Sequitur annus Christi 1151, ubi cap. 1. Manricus inter alia tractat de Raynaldi seu Rainardi, viri magni in ordine Cisterciensi, ejusdemque monasterii abbatis, morte a S. Bernardo denunciata; de qua re consulesis Gaufridum biographum lib. iv. Vitæ sancti Patris cap. 3, num. 19. Deinde subjungitur in Historia Cisterciensi n. 8, mors Sugerii, abbatis S. Dionysii, superius a nobis laudati; ad quem, imminente jam ei morte, exstat epistola S. Bernardi ordine 266 qua ipsum hortatur ad eandem intrepide excipiendam. Præsenti anno 1151, etiam illigatur epistola 270, ad Eugenium papam in causa prioris Carthusiani contra transgressores quosdam, post suborta inter eos dissidia. Vide Manricum hic cap. 2, et notas Mabillonii ad istam epistolam. « Hoc ipso anno, » uti vult historiographus Cisterciensis in eodem capite n. 9, « Bernardus pensum solvens, et solitum de Consideratione librum ad Eugenium pontificem scribens, multa deplorat in Romana curia, quæ per ipsum corrigenda esse deberent; sed præcipue frequentes legationes in Hispaniam, præsertim quæstuosas legatis verum Ecclesiæ non inutiles tantum, sed nocivas. » Deinde recitat fragmentum libri iii, ex eodem opere. Sed rectius illa distulisset historicus ad annum 1152, propter rationes, paragrapho proxime sequenti a nobis assignandas. Ex his itaque conficitur, virum sanctum in postremis quoque vitæ suæ annis, sicut consueverat in prioribus, nunquam non fuisse attentum ad captandas occasiones vel studio quæsitas vel sponte oblatas, ut operam conferret in commodum publicum Ecclesiæ, aut particulare alicujus communitatis vel personæ. Accedit eo illud, quod Manricus ad annum 1151, cap. 6, observat his verbis : « Hoc ipso anno compilatum Decretum per Gratianum, Benedictinum monachum, ex codice bibliothecæ Vaticanæ, Baronijs notat ad hunc annum : *Decretum Gratiani, monachi sancti Felicis Bononiensis, Ordinis sancti Benedicti compilatum in dicto monasterio anno Domini 1151, tempore Eugenii papæ III.* Verum neque id sine Bernardo factum lego in notis ad Historiam Joannis Dubravii lib. ix, lit. G. : *Sancti Bernardi (inquiunt) Claravallensis abbatis hortatu, Gratianus pontificum decreta compilavit.* » Sic observat Manricus.

528. Et mox num. 7 : « Claudat, » inquit, « caput miraculum Bernardi satis illustre, per hoc tempus patratum, sed multos adhuc post annos perseverans. Fons aquæ foetidæ conversus in fontem vini... Id a Joanne eremita memoriæ proditum, cum eundem nancisei non potuerim, ex transcriptore Sylva accipiat lector. » Sed cum illud in Vita ab isto Joanne condita, et post Chiffletium nostram a Mabillonio vulgata, in promptu sit, alioque ibidem modo narretur, ex editione Mabillonii col. 1289 et 1290, factum damus : « Cum pertransiret die quadam circa horam sextam vir venerabilis finagium [i. e. confinium] de

villa, cui nomen Columbeium in fossa, invenit fontem in itinere suo a pecoribus conculcatum. Cumque ibi consisteret, jussit sibi et discipulis suis panem ministrari in eodem loco. Illi vero, quia locus ille inhonestus videbatur, volebant potius in alium locum transire : dixeruntque ad hominem Dei : Non est, inquiunt, Pater, hic locus idoneus ad manducandum. Transeamus hinc, donec ad locum veniamus ubi honestius manducare possimus. Locus enim iste coinquinatus est a pecoribus, et juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. Vir autem Domini noluit acquiescere sermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate et opibus, qui obviam occurrerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos suas.

529. « Qui nullatenus voluit eis assentire, præcipiens magis, ac magis in prædicto loco escas sibi præparari. Tunc vero unus ex discipulis suis, Hemicus nomine, dixit ad eum : Quid est hoc, Pater, quod vis facere? quia hic locus foetet, et a pecoribus est coinquinatus : et tu vis in eo manducare? Hunc igitur sermonem cum audisset vir Dei, ultra sustinere non potuit, sed aperuit os suum, et prophetare cœpit coram omnibus, dicens : Audite me, fratres, et qui mecum estis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirunt, ut in eo ab infirmitatibus variis curentur. Sanctus est locus, utpote a Domino sanctificatus. Hoc cum audissent discipuli, acceperunt panes et cibaria, comederuntque cum eo, et alii multi; plures namque venerant obviam, ut supra diximus. Tunc vir Dei elevans manum suam, signo crucis super fontem edito, benedixit eum, et sanctificavit, dixitque ministris : Haurite, propinate comedentibus. Ministri autem hauserunt aquam, et impleverunt scyphos; et versa est in vinum : biberuntque omnes qui aderant, et gratias exsolverunt Deo immensas, dicentes cum gaudio magno : Vere homo iste sanctus est, vere Spiritus sanctus habitat in eo.

530. « Igitur vir beatus post cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Joannem, vocavit, qui dives et abundans erat valde; præcepitque ei, ut prædictum locum curaret, et a sorde mundaret, et de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens : Si hoc, inquit, adimplere noluieris, scias, te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvam possis, panniculum non habebis. Illo autem pigritante, imo nolente jussa beati viri adimplere, res, prout sanctus ei prædixerat, subsecuta est. Nam in morte de tota possessione sua sudarium habere non potuit, juxta verbum hominis Dei. Quis hæc sine spiritu prophetiæ virum sanctum prædixisse dubitet? Multa quoque, dum adhuc viveret, prophetavit, quæ in effectum succedere vidimus longo tempore post gloriosum transitum ejus. Nam de fonte prædicto, sicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, si cujuscumque corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione fuerit



perfusum, cognitum est a multis, in melius reformari. In potu quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitati præsunt. Nam et si quis febris gravi laborans incommodo, inspirante confessore Christi Bernardo, desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hausit, convalescit, et ita exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rögum projectis undis universa incendia repente exstingui. Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accensis, ut potatæ fuerint, dolores compescunt. »

531. Mortem Theobaldi, comitis Campaniæ, cujus supra mentio non parca occurrit, in hunc annum 1151 incidisse, invenies apud Manricum cap. 6, uti et alia plura, videlicet vitæ integritatem ex variis scriptoribus, qui ibidem assignantur; locum sepulturæ; illustrem viri in suis per regia matrimonia cohonestationem; epistolam S. Bernardi, sincere erga eum amicitia testem, ordine 271, monachatum denique Theobaldi reprobatum tanquam apocryphum.

§. L. *Archiepiscopi Lundensis peregrinatio ad S. Bernardum; hic illum a se discedentem miraculo prosequitur; ratio temporis librorum de Consideratione; variæ prædictiones; turbæ in Lotharingia compositæ; luctus filiorum in ultimo morbo Patris; hujus pro illis cura.*

532. Pervenimus ad annum Christi 1152, vitæ magni Patris penultimum, ad quem annum cap. 3 ita loquitur Annalista Cisterciensis: « Inter hæc venerabilis Eskyllus [al. Eskyllus, Eschilus], Lundensis archiepiscopus, Danorum primas, idemque apostolicæ sedis legatus per totam Daniam..., Claravallensem adire deliberavit, Parentem sanctum per tot pericula terræ marisque, per sumptus, per incommoda vitæ visitaturus. De ea peregrinatione Saxo Grammaticus, pagina 310, ad medium: « Eodem tempore Eskyllus domesticis supra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius consulit, proficiscendi licentia a rege difficiliter extorta, nobile Galliarum cœnobium, quod Claravallis nuncupatur, petivit, ibique asperum patriæ convictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutavit, jocundiorum rerum usum apud externos, quam inter cives habiturus. » Sed quæ hic narrantur ex isto auctore, plenius exstant apud Gaufridum in Vita S. Bernardi lib. 4, et in Exordio magno distinctione 3, cap. 25.

533. Addit idem Manricus, in vôtis fuisse venerabili isti præsul, privatam in Claravalle vitam ducere, relictis infulis; sed viro multis perutili, imo etiam necessario, id a sancto Patre dissuasum fuisse tunc temporis. Mira quoque sunt, et S. Bernardo perquam honorifica, quæ de pane, sola ejus benedictione dudum servatæ a corruptione; item quæ de dente et capillis viri sancti (detulerat illa secum Eskyllus e Claravalle profectus) memorat Annalista allegatus. Quæ cum in loco postmodum exhibenda sint ex eodem Gaufrido, quem modo designabam, adeat illum lector. Laudatus porro Eskyllus, deposita infula, se adjunxit cœnobitis Claraval-

lensibus post mortem sancti Patris, atque in Ordinis Annalibus frequens et honorifica de ipso recurrit memoria. Virum hunc annuntiat et laudat Henriquez in suo Menologio Cisterciensi ad diem X. Aprilis.

534. Ad hunc etiam annum pertinet corona a S. Bernardo imposita aureo suo operi de Consideratione ad Eugenium Papam. Pagius in Critica Baroniæ ad annum Christi 1152, num. 2, de ordine temporis et scriptionis ita disserit: « Loquitur hoc anno Baronius de quinque libris de Consideratione ad Eugenium papam a divo Bernardo elucubratis, quæ inter ejus Opera præstant; sed sanctus doctor non eos uno tenore absolvit, ut putavit Baronius; verum diversis intervallis scriptos ad Eugenium transmisit, uti observat Mabillonius in Præfatione ad tomum II, Operum sancti Bernardi. Et primum quidem anno 1149 edidit, cum Nicolaus Claravallensis monachus, ejusdem sancti Bernardi notarius, ante suam discessionem scribens Petro venerabili dicat: « Mitto vobis librum domni abbatis Claravallis ad dominum papam ». Quæ epistola septima est lib. VI. Nicolaus autem paulo post recessit a sancto doctore, uti suo loco diximus. Præterea Bernardus secundum librum direxit Eugenio anno 1150 post infelicem expeditionis Hieresolymitanæ exitum: de quo ab ipso libri exordio apologiam præmittit. Tertium hoc anno post obitum Hugonis Autissiodorensis scripsit; cap. enim 2, num. 11, de eo loquens inquit, defuncto sancto episcopo; quem quidem librum num. 20, declarat a se editum anno quarto a concilio Remensi. Ejus verba Baronius citat. Denique quartum et quintum librum paulo post, si non cum tertio, absolvit. »

535. Tandem historica de rebus S. Bernardi collectio nostra ad annum Christi 1153 deducta. Fuit is viro Dei terminus hujus vitæ mortalis, ac principium beatæ immortalitatis. Observat auctor Annalium Cisterciensium ad hunc annum cap. 1, num. 2: « Initio anni, hoc est, in media hieme, ægrotasse Bernardum usque ad mortem, » ex ipsius epistola. Est illa inter alias Bernardina a Mabillonio vulgata ordine 307, domino Ostiensi scripta, et ibidem notata anno Christi 1153. Sic autem in rem nostram scribit ad eum sanctus Pater: « Deinde super statu corporis mei cognovi vos esse sollicitum. Verum est, quod audistis: infirmatus sum usque ad mortem; sed interim revocatus ad mortem, atque hoc (ut me sentio) non diu: longe enim sum debilior quam credi possit. Quod tamen dixerim absque præjudicio divinæ Providentiæ, quæ et mortuos suscitare potest. » Ex his itaque patet, sanctum tunc desperatissima infirmitate affectum fuisse: at quo tempore morbus ingravescens illum tandem ad extrema deduxerit, testatur Gaufridus lib. V. Vitæ cap. 2, ubi felicissimum, sed fratribus tristissimum viri obitum describit, et de ipso, illos alloquente, sic memorat: « Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, non vobis esse quod adhuc

timeretis: ætate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. » Porro quemadmodum se sanctus gesserit, in gravi sua infirmitate, invictum et heroicum in ardenti fervore et piis occupationibus spiritum exercens, præmiserat idem biographus lib. v, cap. 1.

536. « Interea fratres (sicut narrat idem Vita scriptor cap. 3) instare supplicationibus, et obsecrationibus, quibus poterant apud Deum. Unde etiam sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est: Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, et invaluitis. Parcite, quæso, parcite: sinite me abire. » Quibus subdit ista Manricus num. 4: « Sed nihilominus prophetiæ spiritu plenus, nec minus interim paterno amore æstuans, consolari lugentes, dilationem promittere, instillare fiduciam, atque in spem cunctos erigere, et se ad ætatem usque differendum, datis dolori induciis, promittebat: Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, etc. Ergo (uti pergit Manricus num. 5) dum inter spem et metum fluctuante accipites, atque diu imminentem sententiam mortis, vix aut ne vix (quidem) sperarent posse differri, minus forte fidentes Bernardi verbis confirmavit visio; » quæ a Gaufrido exponitur cap. 3, jam indicato. « Hæc tertia, » sicut observat historiographus Cisterciensis, « jam de Bernardi obitu visio, quam tamen quarta alia secuta est, qua differendum etsi minus clare, haud tamen nimis obscure confirmabatur. » Exhibebat ea Odonem, unum e senioribus Claravallensibus, moriturum ante sanctum Patrem. Hanc lege apud designatum modo sæpius biographum; cui adde auctorem Exordii magni, distinctione 3, cap. 6, ubi, quia sequitur sancti Patris asseveratio vel prædictio de gloria cœlesti, statim post mortem Odoni obventura, ex eodem Exordio etiam transcribo ista:

537. « Post prædictam enim visionem idem famulus Dei Odo molestia corporis tractus ad extrema pervenit. Ad quem visitandum cum beatus Bernardus ingressus fuisset, videns eum pavere et anxiam, quasi si minus perfecte vixisset, et ob hoc ancipitem adhuc sententiam judicis exspectaret, sic eum allocutus est: Quid trepidas, quid turbaris, o anima beata? A diebus adolescentiæ tuæ devotum Christo famulatum in multis et magnis laboribus exhibuisti, et exire formidas! Perge, perge securus: ego tibi in veritate dico quia recto cursu ad Creatorem tuum pervenies, et sanctus coram ipso apparebis, Qua consolatione dilecti Patris sui humilis Odo roboratus... vitam veraciter apprehendit. Ut autem Pater sanctus sententiam, quam de eo protulerat, piæ humilitatis obsequio veram esse comprobaret, corpore sancto adhuc in area jacente, antequam ad lavandum deferretur, reverenter accedens, funeris Deo digni vestigia sacra devote osculatus est... Benedicti corporis ejus exuvia in monumento, quo piæ memoriæ

Humbertum locatum diximus, ob reverentiam sanctitatis ipsius reconditæ sunt. »

538. Sed mirabile prorsus est aliud viri sancti vaticinium, quod Manricus cap. 2, credit pertinere ad primos hujus anni 1153. menses, ac producit ex scriptore Exordii magni. Sic itaque illud refertur in editione Tissierii distinctione 3, cap. 27: « Nobilissimus princeps Gunnarus, judex quondam et dominus Sardinie detrachalis [f. tetrarchalis], cum aliquando gratia orationis sanctum Martinum Turonensem expetisset, in reditu transiens per Claravallensem, et a beato Bernardo devote susceptus, de salute quoque animæ copiose admonitus, conversioni minime consentit: licet Pater sanctus, ipso præsentate, et multum garrulante, cæcum quemdam illuminasset. Cui abeunti vir Domini sic locutus est: Ego quidem instanter pro tua conversione Dominum rogavi; sed ad præsens exaudiri non merui. Et nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum: scias tamen te huc iterum de Sardinia reversurum. Abiit ergo in patriam suam; sed verba, quæ ex ore viri Dei audierat, incessanter animum ejus stimulabant, Spiritu intus suggerente, prophetiam, quam tantus propheta sibi de se prædixisset, cassari penitus non posse. Modico post hinc elapso tempore, cum nuntiatum esset ei, beatum virum transisse de hoc mundo ad Patrem, consternatus est animo vehementer, arguens semetipsum, et poenitens valde quod ad illius prædicationem conversus non fuisset. Mox ergo igne illo quem Dominus mittit in corda electorum suorum, et vult vehementer accendi, totus incanduit: nec omnino moram facere sustinens, primogenitum filium suum pro se in regno suo principari constituit: ipse vero, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis et animi vigore præpollens, relicta Sardinia omnique gloria mundi sprete, pauper et humilis ingressus est in Claravallensem: ibique sub disciplina suscepti Ordinis usque ad decrepitam ætatem, imo usque ad mortem perseveratur militans, regnum terrenum pro cœlesti se commutasse gloriabatur.

539. « Varii in Lotharinga tumultus, » sicut perhibent Annales Ordinis Cisterciensis cap. 4, apud Metenses, Bernardum tanquam angelum pacis forte ad hoc reservatum præstolabantur. Quin et Illinus [al. Hilinus] Trevirorum metropolita, sub quo Metensis sedis, ad Claravallensem veniens, eundem sanctum humilis supplexque, ut tantis subveniret malis sollicitabat, » Rem narrat Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 1, addens, vires ad tantum operis successum in hoc casu, sicut in aliis eventibus præteritis contigerat, viro Dei cœlitus fuisse redditas. « Dominus, » inquit, » sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præceptis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevavit. » Et paucis interjectis: « Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit..., ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent... Cui in opere novissi-



mo tam manifeste divina adfuit virtus, ut ex laboribus vires capere videretur. » Interim « jam arma utrinque, » inquit num. 4, Annales citati, « et clamores audiebantur : et alteri ex ardore vindictæ, alteri ex victoriæ recentis elatione, fremebant utriusque. Cum sanctus Pater admonitus per visum nulli repulsæ cedere, tandem quæcunque vellet impetraturus. Trevirensium antistitem secutus, pervenit ad castra quæ jam jamque in se invicem irruitura, Mossellæ ripas longius occupabant. »

540. Quot et quanta hic mirabilia in virum sanctum quasi confertim a divina Providentia sunt congesta ! Mirabile ad illos tractus iter ejus ; qui puncto vix unico distabat ab itinere ad æternitatem : mirabilis in desperatissimæ pacis negotio tam certa et affirmata de bono ejus eventu prædictio ; mirabilis denique atrocissimarum istarum discordiarum compositio : etenim « partis utriusque primarii... compositis omnibus, secundum quod fidelis arbiter (Bernardus) definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis, » uti Gaufridus testatur : qui lectorem, totius rei gestæ seriem describens, plenius edocebit. « Premebat » videlicet homines, » uti recte observat Manricus num. 6, « auctoritatis Bernardi pondus, premebant miracula, cum nefas ducerent utriusque non exaudire, quem Deus exaudiebat, et cui ipsa natura obtemperabat. Præter alios illuminati duo cæci ad tactum viri Dei : claudi item duo donati libero gressu, Deum in Bernardo præsentem manifestabant. » Deinde ex eodem Gaufrido refert celeberrimam mulieris, vehementi tremore ac validis membrorum motibus ab annis octo concussæ sanationem ; uti et alterius paralyticæ curationem. Adisis ipsum Gaufridum loco superius citato : qui, postquam narraverat ea, quæ in hoc supremo ac prorsus memorabili abbatis sanctissimi itinere contigerunt, sic eundem affatur, prædictum caput primum concludens :

541. « Cæterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est, ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili, quam difficili, nec minus desperatæ quam necessariæ pacis labores tuos gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, et nomen suum in te glorificans, rex gloriæ, Dominus Deus tuus. » Hæc Gaufridus ; qui cap. 2 tractat de sancti ad coenobium Claravallense regressu, ac animi gaudio, quo erat delibutus. En nonnulla e pluribus, quæ scribit : « Ut expleta Metensium reconciliatione, et provinciæ illi pace reddita, abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat :

**A** *Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, etc.* « quæ supra præmissa sunt. »

542. Claravallensium filiorum de desperata aman-tissimi Parentis salute dolore commemorat Manricus cap. 7, his verbis usus : « Jam Pater sanctus morti, jam mors victoriæ, jam victoria triumpho appropinquabant. Jam beati angeli, jam spiritus cœlestes novum civem cum gaudio, quin ipsi dæmones Bernardum abeuntem, per quem tot millia animarum perdidissent, qua poterant, cum tripudio præstolabantur. Soli fratres et filii, destituendi tanti Patris solatio, tanti magistri ductu, mœrebant tristes, ejus vitam vel propriis redempturi. Quippe sub eo discedere, in felicitate ; sine eo vivere, in miseria reponebant. Videres homines pene extra se factos, ipso, quem amittendum deplorabant, ut apparebat, morte propinquo. » Audiatur unus ex illis Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 2 : « Nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare, ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si pie senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsanguis, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. »

543. Deinde idem biographus apostrophen tenerimi affectus, venerationis profundissimæ, ac cumulatissimæ laudis expressionibus plenam dirigit ad sanctum suum Parentem : sed, ne actum agam, huc illam non transcribo. Mitto hic etiam alia, quæ subjungit, de filiorum ad Patrem accessu, hujusque et illorum verbis, ac fletu. Item dilectissimam sibi sobolem consolabatur. Ad hæc, monitis eam instruebat dulcis ac sollicitus Pater (vide laudatum Gaufridum loco citato) ad religiosam perfectionem, lacrymis præ affectu sermoni vere paterno intermissis, charissima sibi pignora adhortans. Nec præteribo tria illa monita, quibus testamenti seu ultimæ voluntatis loco dilectos sibi filios benignissimus Pater affatus fuisse dicitur ab Alano apud Mabillonium volumine, II, col. 1271 et 1272 : « Videns itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutius adhæserant, seorsum advocans, alloquebatur, talia dicens : Quia non arbitror me magna vobis religionis exempla posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio, quo cucurri, me pro possibilitate mea meminisse observasse : Minus sensui meo, quam alterius credidi ; læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui : et, si quando incidit, sedavi ut potui. » His merentur adjungit, quæ Manricus in additis ad Exordium magnum lib. VII, cap. 10, legisse se significat, hisce verbis expressa : « Ut olor dulcissimus, qui canoro et suavi modulo, ad limina mortis ductus, cantare solet : sic et B. P. Bernardus jam in extremo vitæ præsentis ac perituræ constitutus, dulciora multo, magisque melliflua verba sonabat : adeo ut præ gaudio misto tristitiæ, omnes, qui ibi aderant, in-

genti luctu ac gemitibus enarrabilibus in lacrymas dissolverentur. »

§ LI. *Morbis ; revelatus obitus ; litteræ, ut fertur, ducissæ Lotharingicæ ; virorum illustrium accessus ; mors ; corpus ; miraculis finis impositus per obedientiam.*

544. « Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola, quam ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictavit, » teste Gaufrido lib. v. Vitæ cap. 2, qui eam etiam ibidem recitat. En tibi sequens ex ea fragmentum : « Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est... Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropycis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. » Epistola porro hæc ordine 310 signatur, et inscribitur *Ad Arnoldum Carnotensem abbatem Bonævallis*, notante Mabillonio, Ernaldum passim appellari in vetustis monumentis, ut in Spicilegii tom. XII, pag. 390, et apud Arnulfum episcopum Lexoviensem, qui ejus epistolas laudat. Omnes excidisse summopore dolemus. Ernaldo librum secundum de Vita Bernardi, tribuendum esse, docent Notæ fusiores.

545. Manricus cap. 7, num. 7 et 8, scribit de duabus aliis, præter eas, quas diximus revelationibus, quibus sancti mors prænuntiata fuerit. Proferamus ejus verba : « Hoc ipso tempore in abbacia Claravalli proxima, nec satis certum adhuc in qua fuerit, quarta de sancti morte revelatio abbatem simul instruxit et invitavit, adfaturum, si vellet, obitui sancto, cui curia omnis cœlestis præsens assisteret. » Factum narratur ac confirmatur apud Gaufridum, lib. v, cap. 3. At sive rem non tam prope adesse existimaret abbas ille, sive non plenam isti revelationi haberet fidem, sive aliis occuparetur negotiis urgentibus ; hanc monitionem cœlestem subsequuta est alia, de qua Manricus citato num. 8, prædicti monasterii præposito facta ab ipso S. Bernardo ; quæ cum sit breviter relata a laudato mox biographo, eam hue ex ipso transfero : « In monasterio prædicti illius abbatis, qui sic ejus natalem præviderat ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit, venerabili ejus præposito apparens, valedixit illi, et ait : Noveris, quia jam migro, nec ulterius hic morabor. Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas, et Claramvallem veniens, ipso die abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse. » Atque hæc quidem quinta revelatio mortis : uti observat Manricus num. 8, sanctissimi Patris : et, quantum nos novimus, etiam postrema, quæ utique accidit ultima nocte, post quam proximo matutino diluculo erat migraturus ad Dominum.

546. Appetente autem mortis tempore, venisse ad eum fertur nuntius e Lotharingia, ac Ducissæ, a

PATROL. CLXXXV.

**A** viro sancto olim conversæ, litteras ad ipsum detulisse. Quid vero in eisdem scripserit, et quid sanctus responsi dederit, legi potest apud Historicum Cisterciensem cap. 7, num. 9, post cujus rei narrationem addit : « Hæc ex anonymo antiquo, ut vocat, ms., a quo se Brito hausisse testificatur, » qui inspicit potest lib. III, cap. 28, ubi allegatur quidem codex ms., fol. 64, et alii nominantur auctores ; sed facti fides sit apud asserentes ; cum Gaufridus adeo diligens et accuratus scriptor eorum, quæ sub finem Vitæ S. Bernardi acciderunt, nihil horum memoret. Porro de mirabili hujus ducissæ Adeleidis conversione agit Guillelmus in Vita lib. I, cap. 7, et Fragmenta Gaufridi col. 1277. Vide quæ supra dixi § 18, num. 198. Postremo virum sanctum jam morti proximum illustrium personarum consortio cohonestatum fuisse, testis est Gaufridus lib. v, Vitæ cap. 2. « Novissime, inquit, cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago..., magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies : ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. » Tempus vero mortis mox subdens, « Hora, inquit, diei pene tertia... (Manricus cap. 7, num. 11, tribus, ait, ante meridiem horis, plus minusve) a corpore mortis... migravit. » Deinde autem alias temporis notas signat : « Annis circiter sexaginta tribus expletis... decimo tertio Kalendas Septembris, inter filiorum manus obdormivit in Christo, » anno videlicet reparatæ salutis 1153, quem dictus biographus, nonnullis rebus interjectis, de quibus agetur illico, etiam notat, dicens : « Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus papa noster Eugenius tertius... ab hac luce... migravit. »

547. Quo autem momento beatissimus Pater animam purissimam suo Creatori reddidit, visio plane singularis condecoravit felicissimum ejus ex hac vita transitum, quam Manricus num. 13, sic narrat ex additis ad Exordium magnum lib. VII, cap. 10. « In ipso vero momento, quo ultimum exhalavit spiritum, visa est in eodem cubiculo, quo sanctus vir jacebat, piissima Dei Genitrix, specialis B. Bernardi patrona, largissima suorum remuneratrix, innumeram angelorum ac cœlestium spirituum multitudinem, prout reginam cœli ac dominam angelorum decebat, secum in comitatu habens, quæ cœnentibus omnibus, qui ad funus venerant, sanctissimam viri Dei animam quasi ab ore ejus rapiens, usque ad penetralia cœli cum eodem comitatu, letantibus angelis, hymnosque cœlestes per aera cantantibus perduxit, quo pia sui memorum immemor nequaquam existeret. Similiter et visa est eadem cœli regina illam B. Patris nostri Bernardi animam in cœlesti beatitudine ad latus suum collocasse. » Ea autem sic metro illigavit Philotheus in Carmine encomiastico de vita et moribus S. Bernardi :

*Cum niveus, lacrymas inter gemitusque suo um,  
Spiritus, abstracto corpore, celsus abit :  
Ipsa per aërios Virgo nitidissima tractus,*